Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 7tum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

R. dico antecedens et hoc ideo, quia est affectum signo collectivo omnes, consequens autem distributivo. N. antecedens et consequens. Terminus tandem proprium propositionis negativae supponit distributive, cum non est affectum signo collectivo quale hic est vox omnes, quo hoc ipso, quod hic accipiatur collective, non potest supponere distributive.

Caput sextum

De definitione ejusque Regulis.

Fit plerumque tam definitio quam divisio per secundam mentis operationem, non tamen necessario; unde perperam ait definitionem nihil dicere esse aut non esse: id quidem verum est, quod definitio in prima mentis operatione tantum sit incompleta oratio, sed tamen completa definitio. Aristoteles ait definitiones esse principia demonstrationum, non loquitur de pura definitione, sed de propositione definitiva. Inter tres modos sciendi, definitio essentiam rerum, divisio partes, argumentatio proprietates et affectiones explicat. Definitur autem modus sciendi in genere quod sit oratio patefaciens ignotum ex noto. Ipsa vero definitio juxta Aristotelem est oratio explicans quidditatem seu essentiam rei. Varie autem accipitur definitum et definitio. Definitum formale in definitione homo v. g. est vox aut conceptus homo, ipse autem homo illa oratione repraesentatus est definitum obiectivum. Definitio formalis est oratio clare explicans naturam rei v. g. haec voces: animal rationale. Definitio obiectiva est ipsa res per definitionem formalem clare repraesentata: unde definitum obiectivum et definitio obiectiva tantum formaliter distinguuntur. Definitio essentialis duplex est metaphysica et physica, sed metaphysica fit per genus et differentiam v. g. animal rationale quod sunt item et considerantur a metaphysica. Physica fit per partes physicas ex quibus aliquid componitur v. g. homo est compositum ex corpore anima et unione, quae distinguuntur et considerantur a physica. Definitio descriptiva explicat naturam rei per proprietates et accidentia v. g. homo est animal risibile. Causalis explicat rei naturam per causas extrinsecas et effectus, ut homo est creatura Dei ad caelum, sed haec sunt potius descriptiones quam definitiones. Ad faciendam porro bonam definitionem fit iam.

Regula 1ma, definitum formale non debet ingredi definitionem formalem
nec explicet idem per idem.
Regula 2da hinc eadem definitio debet esse clarior suo definito.
Regula 3tio debet convenire omni et soli definito, quod hoc intelligi-
tur tam de definitione obiectiva et definito obiectivo, quam formaliter
utique clariore definito formali. atque hae regulae sunt essentiales, quae
sequuntur non ita semper in rigore observantur.
Regula 4to. debet fieri per genus et differentiam proximam. genus proximum
est quod infra se plura genera de paucioribus potest dici. ita in definitione hominis
ab animal est genus proximum inter viventes substantiam: utpote sub se nobiliora.
Regula 5to. non debet plus nec etiam minus dicere quam requiritur, idem non posset
esse definitio.
Regula 6ta. debet fieri per praedicata primaria vel immo constitutiva
unde risibilitas est tantum radicem [illegible] rei proprietas metaphysica
quia ex rationali tanquam radice profluit.
Obiicies 1mo definitio debet esse clarior suo definito, ergo non potest cum illo
esse convertibilis. R: concesso antecedente distinguo consequens ergo definitio formaliter
non potest esse convertibilis cum definito, concedo tantum definitio obiectiva
cum definito obiectivo, nego: concedo.
Obiicies 2do si definitio definitionis est bona, tunc deberet convenire omnibus
definitionibus, sed his non convenit, ergo. probo minorem: ens singulare dicitur non
potest convenire multis, sed definitio est ens singulare, ergo. R: concessa maiore
nego minorem et probationem distinguo maiorem: ens singulare tam in essendo quam in repraesen-
tando non potest convenire multis, concedo maiorem: si tantum est singulare in essendo,
nego maiorem. definitio autem est singularis in essendo et universalis in repraesen-
tando sicut scientia in se una plura potest repraesentare.
Obiicies 3tio definitio definitur per se ipsam, ergo male. R: distinguo antecedens definitur
per se ipsam immediate tanquam obiectum totale, nego: antecedens mediate tanquam
partiale obiectum transeat antecedens, fit hoc eo fere modo quo cognitio
cognoscit omnes cognitiones, vox omnes voces et nomen omnia nomina significat.
et consequenter inadaequate etiam se.
Obiicies 4to definitio non debet ingredi definitionem, ergo non potest
definiri. R: distinguo antecedens definitum formale non debet ingredi definitionem
formalem, concedo antecedens definitum obiectivum non debet definitionem ingredi

obiectivam. R: autem definitum obiectivum est omnis definitio in communi, quod ipsa definitio definitionis includit. Sed tamen definitum formalem ingredi non potest, nam est haec vox definitio; definitio autem formalis sunt hae voces: oratio explicans naturam rei; et hae voces a prima illa voce distinguuntur, quae non sunt idem. Cum quod definitum omnis definitio, tunc definitio formalis est quidem sui ipsius definitum obiectivum, sed non formale, quod sub diverso respectu. Plura alia quae hic ab iis obiici et urgeri solent, qui libenter ambulant in tenebris, omitto, quia fere sunt de lana caprina et inutilis tortura ingenii.

Caput Quartum

De divisione eiusque regulis.

Duo modi fiendi est divisio, et definitur, quod sit oratio distribuens totum in suas partes, totum vocatur divisum, partes vero membra dividentia. Divisio essentialis est, cum totum dividitur in partes essentiales, quae si sunt physicae, ut si dico: alia pars hominis est anima, alia corpus, alia anima, est divisio physica; si vero sunt metaphysicae, ut animal rationale, est metaphysica. Si dividitur in partes integrantes, est divisio physica integralis, ut si hominem dividis in caput, manus, pedes etc. Divisio logica est divisio totius potestativi in suas partes subiectivas, ut animal dividitur in hominem, leonem etc. Regulae porro bonae divisionis sunt sequentes.

Regula 1ma. Divisum debet plus continere quam singula membra dividentia; totum debet esse maius suis partibus.

2da. Membra dividentia simul sumpta debent adaequare divisum, quia omnes partes simul sumptae sunt totum.

3tia. Debet habere membra inter se opposita, ut unum non includatur in altero, nec de eo possit praedicari propter realem vel formalem distinctionem, ne detur superfluitas, ut si dicerem: aliud animal est rationale, aliud visibile.

4ta. Divisio non fiat in plura membra quam sit opus, sed in proxima. Hinc mala est divisio substantiae in hominem, prata, arbores etc.; proxima enim genera sunt corpus et spiritus.

Obiicies: sic definitio et divisio sunt idem, est enim idem si dico: leo est animal rugibile, et si dico: alia pars leonis est animal, alia rugibile. Dico: sunt idem realiter, nego formaliter. R: discrimen est quod divisio habeat modum tendendi divisum, definitio convenientiam.